

DE
OBSTRUCTIONE VISCERUM
ABDOMINALIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICA

HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XIX. MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCXLVI.

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARUM TURICENSI

PUBLICE PROPONIT

JOSEPHUS HUPNAGE,

TYROLENSIS OENIPONTANUS.

TURICI.

EX OFFICINA MAHLERI ET WEBERI.

1846.

QUESTIUNES VARIAE
ARITHMETICAE

DISSECTIO I. DE NUMERIS

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.

Ovidius.

THEATRA

PRÆFATIO

ANIMIS DEFUNCTIS

PARENTUM MEORUM

MEMOR FILIUS.

Scriptum a M. H. H.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT
CHICAGO, ILL.

1911

PRAEFATIO.

Legibus accademicis, quae doctoris medicinae et chirurgiae lauream aspiranti opusculum aliquod elaborare praecipiunt, libenter satisfaciens, atque in aream utriusque doctrinae ingentem descendens, tractatio de splanchnorum abdominalium obstructione mihi prae ceteris adrisit, partim quia in pluribus nosocomiis saepius istos morbos practice observandi occasionem inveneram, partim quia ipse hypochondria materiali, ex tumescentiis hepatis, lienis, et glandularum lymphaticarum mesenterii orta, per dispositionem hereditariam aliquod temporis laboravi; quare etiam pro questione inaugurali *enteritidem occultam* tractandam selegi; prae omnibus vero prout sequelas febrium intermittentium aut chronicarum, aut male tractatarum illos status morbosos videram; praecipue in regionibus paludosis. Tamen aliquid praestitisse censeo, quamvis nil inauditi proferam, nam alia plura perfectiora in aliud tempus, si numen summum medico juveni otia et requiem dederit, differo, pro praesentia hasce solummodo paginas primitias publico medico subministrare possum.

Turici mense Septembris 1846.

Josephus Hufnagl.

Introductio.

Obstructiones viscerum abdominalium, plerumque hepatis et splenis, nonnunquam et pancreatis, glandularum mesenterii, in sexu feminili ovariorum quoque, cum eorum secundariis, degenerationibus in praxi maxime obviae frequentissime characteris pertinacis et chronici occurrunt. Hepar vero cum splene ab eorum situ sensu strictiori exta hypochondriaca vocantur. Hypochondria autem (ab *ὕπο* sub et *χονδρος* cartilago, germanice Weichen) illas corporis humani partes designant, quae sub cartilaginibus costarum spuriarum utriusque lateris abdominis reconduntur, atque retrorsum ad regiones usque lumbales porrigunt, deorsum vero prope ad umbilicum et cristas iliacas descendunt, atque ab hepate dextra, a liene vero sinistra occupantur. Apud Hippocratem et Celsum hypochondria idem significant, ac praecordia. Haec sistunt regionem corporis humani, in qua nobilissima cavi abdominalis organa collocata sunt, ventriculum undique cingentia, et ubi gravissima vitae plasticæ opera peraguntur. Hippocrates dicit: »Quodsi in hypochondriis pulsus quoque insit, perturbationem significat, vel delirium. Juxta ventrem in febre palpitaciones mentis motiones faciunt. « — Galenus vero ait, quod epilepsiae, comata, catalepses. deliria, melancholiae ex abnormi hypochondriorum statu fiant. « — Et Baglivius inquit: »Si medici nostri temporis

omnium aegrorum suspectorum hypochondria statim tractarent, in multis morbis pauciores certo committerent errores, quam faciunt spreta hypochondriorum observatione. — «

Obstructio, infarctus viscerum abdominalium, praesertim hepatica et splenica, sicut pancreatica et mesenterica, a vocabulo farcire, stopfen, etiam emphraxis a vocabulo graeco ἐμφρασσω idem ac obstruere, constipare, germanice Anschoppung, Verstopfung, illud sistit organicae reproductionis vitium, in quo illa exta per materiam stagnantem, vel in substantiam a corpore animali plus minus alienam increscentem, opplentur, cum voluminis, cohaesionis atque functionum eorum alteratione.

Prima origo obstructionum splanchnorum abdominalium sive hypochondriacorum igitur generatim in vasorum opple-tione, uberiori humorum adfluxu, principii nutritivi abundantia abnormi, expansionis praedominio, et nisu formativo vividiori alienato fundatur.

Diagnosis.

Obstructionum viscerum hypochondriacorum diagnosis, quamvis simplex et facilis videatur, multis haud raro praepriis sub initio morbi premitur difficultatibus; nam viscerum adfectorum sedes abscondita, organorum vicinorum varietas, situs naturalis non raro praeter normam mutatus, morborum denique aliorum complicatio frequentissima, gravia diagnosi ponunt impedimenta. Pauca exinde et obscura modo in leniori morbi gradu sese manifestant symptomata idiopathica objectiva; plura hic ex sensationibus, quas aeger adcusat, symptomata subjectiva, ex consensuali digestionis turba,

symptomata sympathica; colligere atque valorem eorum, et suspicionis de latente infaretu probabilitatem, ex consideratione potissimum momentorum causalium aestimare, aut refellere medicus debet. Neque enim volumen horum viscerum ad eum usque gradum, aut ea semper crescit directione, ut extrorsum tumescentia, visui aut tactui augmentum suum significant, neque si reipsa foras turgeant, sat tutis characteribus physconiae singularium vicinarum partium discerni queunt, quibus omnibus et illud accedit, quod saepe in intimis horum viscerum penetralibus lateat malum. Attamen momentorum causalium severum scrutinium, morbi sedes, functiones laesae, symptomatum essentialium meditatio, cum abdominis exploratione prudenter instituta medico diagnosis sublevabunt. Circa methodum abdomen in his morbis explorandi liceat mihi propria Petri Frank adducere verba: » Vix nisi in situm, qui cuique visceri explorando conducat, aegros collocemus, diagnosis sat firma obtinebitur. Qui in suspecti jecinoris, aut et lienis naturam inquisiturus est medicus, ille non in dorsum semper procumbentem hominem, sed alio longe in situ positum examinandum habebit. Nunc scilicet conveniet in pedes erectum, et in sinistrum, aut, cum lien examinandus fuerit, in dextrum latus aegrum contrectare; quo nempe in situ, inferior istorum viscerum limbus a costis spuriis magis liberatur, et exploranti digito redditur vicinior; nunc in genua cubitusve decumbere aegrum jubemus, quo fit, ut suo pondere jecur, sub hypochondrio dextro nimis reconditum, aut splen ipsum, mesenterium, pancreas infarcta, anteriora versus ferantur, laxatisque abdominis musculis, majorem inquisitionis manui superficiem exponant; nunc decumbente in dorsum aegro, positus, inflexo

genu, in talos pedibus, ventrisque prius relaxatis sic integumentis, manus medici infra costas dextri aut sinistri hypochondrii spurias ponitur, atque his ipsis ad anteriora vi quadam elevatis, sepultum sub osseo hoc arcu hepar aut lien ad umbilici regionem prodire cogitur. Non repleto prius a cibis vel in potu abdomine, sed homine jejuno, istius in viscera inquirendum, vel, si temporis id sibi exigat penuria, intestinis prius contentis flatibus atque saburris ope clysteris, ne, inflata nimis, defectus morbosque aliorum abscondant, deplenda sunt. In genere vero, quae sub hypochondriis latent viscera, ea, nonnisi sub majoris et protractae inspirationis tempore rectius tactu explorantur. Quod autem sub tali examine musculorum abdominalium aucta sic tensio rectius examinari impediverit, id mox sub expiratione longiori opus suscipere, ac singula tandem inter se comparare juvabit. Frequenter, quas decubitus aegrorum supinus inquiri satis negaverit, eas erecta corporis in pedes positio, varia inflexio, quod suo pondere tunc viscera infarcta, nisi cum aliis aut cum ipso peritoneaeo jam arctius concreta, magis descendant, vel consueto a loco urgeantur, et tractionis, tensionis majoris aegro sensum inducunt, patefacit injurias. Nec minus corporis aegrorum ex uno latere in alterum promptior conversio; si hoc sub motu, vel in hoc, vel in aliud sibi quidquam aut delabi aut quasi suspensum haerere persentiant, certiore ad diagnosis confert. — «

Jam quod symptomata morbi attinet, levissima hypochondriorum plenitudo; aliquis sensus ponderis et pressionis, rarius doloris obtusi in alterutro ventris latere, sub decubitu in hoc vel oppositum, sub contrectatione rudiori, post pastum turgente cibis ventriculo, aut expansis flatibus intestinis, sub

retentis urinis et faecibus, aut sub intensiori eas excernendi nisu; vel ubi profunda ducere jubentur suspiria, aut dum justo celerius passus facientes, vel scalas, montes scandendo, vel promptius et diutius sermocinando, vel demum gravi pathemate commoti anhelosi evadunt, vel qualicunque modo incalescunt, statum morbosum, quidquam exasperandum, et clariorem reddunt. Adsunt autem praeterea diversae, quamvis levissimae, obstinaces tamen primae adsimilationis turbae: os mucosum, siccum, inprimis evigilantes e somno graviter molestans, et ad screandum invitans, sapor alienus, fatuus, amarus, acidus: putridus, ructus inanes, aut pyrosis, nausea, et vomituritio frustranea, aut uberior salivae acrioris in ore confluxus, appetitus ciborum vitiatu, nullus, languens, citissime satiandus, aut nimius, et fere bulimia, aut incongrua et omnino non esculenta poscens, sive malacia. Ita quoque et sitis variabilis est, de nocte et mane regulariter urgens, motus ventriculi iners, post ingesta brevi sensus oppletionis et tensionis ad epigastrium molestae, simul ob denegatum boni chyli bilisque stimulum, aut hac ultima praeter normam hic effusa. Motus tubi intestinalis peristalticus aut justo aegrius procedit, unde absorptionis intestinalis languor, excretio alvi tarda, faeces parcae, durae, uberior flatuum generatio, et explosio difficilis, hinc murmura et borborygmi, et vera intestinorum pneumatosis, doloresque colici, aut etiam nimis et justo alacrius, quam id negotium chylicationis exposcit, praecipitatur, unde humorum ad vasa lactea urgentium impetuosa resorptio, nutrimenti abundantia, plethora chylosa, obesitas et repentina illa habitus corporis emendatio, quam ambiguum esse sanitatis signum jam Celsus monet, dicens: »Ergo si plenior aliquis et speciosior et

coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. « — Vel est cibus vix assumptis et nequidem digestis una cum succis inquilinis nulla mora ad resorptionem concessa, celer et frequens per anum relaxatam dejectio, quam serius occlusae materiae organicae in universo penuria et consumptio sequitur. Indoles quoque urinarum alteratur, et urina non raro turbulenta et hypostatica jam nunc excernitur; id quod jam Hypocrates adnotavit: » Si multae, inquit, particulae crassae in urinis subsident, signum atrae bilis habetur. « — Varia quoque phaenomena morbosa in variis corporis regionibus in conspectum veniunt. Animus fit morosus, tristis, languent vivaces olim oculi, plumbei annuli pendentes cingunt palpebras, facies tota diversum a naturali induit colorem, quod essentialem habet characterem.

Alias sensationes insolitae diversa pervagantur membra, artus ingravescent, aegre moventur, et facile defatigantur, cutis jam horrore contremescit, jam fugaci perstringitur aestu, hinc inde et cor palpitat, et arteriae absque typo regulari pulsant, et ipsum ideo abdomen quandoque pulsare videtur. Dirii dolores aut temulentia, vertigines, caligines caput occupant, sensus obnubilant. Somnus vel omnis fugit, vel horrida insomnia, ephialtes, spectra, vix sopitum terrent, et inter angores et palpitationes expergiscunt, vel insuperabili pigritia resoluti et quasi ebrii continua torquentur somnolentia. Cutis vel adipe infarcta tumescit, et cachectica albedine pallet, vel arctius extenuato carne adstricta, aut in totum aut, ubi tenui substrata est epidermidi, ad angulos oris et canthos palpebrarum, ad selectoticam et genas, lurido flavescente tingitur colore, aut in dorso, pectore et ventre, etiam facie ac fronte maculas

ex flavo viridescentes aut pallidas, subinde fuscas et ex flavo nigricantes, in longum ac latum extensas ambitus diversi, figurae definitae nullius, saepe laeves, alias paullisper asperas, indolentes, vulgare hepatis chloasma, et veros lichenes concipit; ac vel sicca est et anserina, vel interdum maleolentibus sudoribus madet. In sexu altero catameniae a norma deflectunt, largiora aut parciore fiunt, aut penitus silent, et in locum eorum uterus aut vagina mucosum humorem profundere solent. In his et viris molimina haemorrhoidalia adparent, in utroque etiam nisus in venerem vel justo magis incensus, aut penitus extinctus observatur. Si vero ad majorem gradum crescere pergit malum, expansio organica excessiva contractionis renitentiam adeo infringit, ut laxitas contextus, congestiones passivae succedant, humores secreti nunc in vasis capillaribus stagent, nunc in telam cellulosa effundantur, simulque structura leviter alteretur. Augentur nunc symptomata prius adsignata intensitate, et simul nova accedunt. Increscit hypochondriorum tumor, manibus facile ut plurimum palpabilis. Obscurae etiam et versatiles aegri sensationes in clara et constantia abeunt nunc pathemata, symptomatibus simul hypochondriaseos adparentibus. Moeret et affligitur in diem magis animus, et inter continuum vitae taedium et amorem, salutis spem et desperationem luctans agitur.

Obtusi et vagi hucusque dolores ad certa nunc figuntur loca, transversim ad ilia et epigastrium feruntur, et praecipue sursum ad jugulum directe fiunt. Oritur simul tussis sicca, et dyspnoea, stasis humorum in remotis partibus, vel vero ruptis canalium coercentium vinculis, inso-

lita nascuntur profluvia, solita autem in aegri detrimentum ultra normam excedunt, unde numerosa symptomatum turba sequitur, inter quae orgasmus ad thoracem et caput, aestus, vertigines, epistaxis, insultus apoplectici, aut variae species astmatis, aut pneumatorrhoeae serius vel ocyus lethales, aut ominosa haematemesis, aut levans haemorrhoidum fluxus eminenter se manifestant. Digestionis quoque et excretionum gravamina omnesque in toto vegetationis processu anomaliae adhuc in altiori utique gradu emicant. Obstructa vel compressa vasa bilifera, aut ipse ductus choledochus et cysticus bilis in intestina excretionem impedit, unde chylus depravatus, faeces decolores, limosae, albae, lente per intestina languida descendentes et gas copiosum eructantes oriuntur. Urinae inveniuntur clarae, crudae, vel etiam turbidae, crassae, pingues, viscidae, foetentes, in superficie cuticulam versicolorem contrahentes, sedimentum sat largum praecipitantes, retenta et resorpta bilis cutem aurigine tingit, totusque corporis habitus evadit cachecticus, et nisi congrua therapia lente quamvis increscens debellatur malum, scleroma et verus denique nascitur scirrhus, lugubrem aegro praeparans sortem, cruciatibus plenam. Pulsus tangitur irregularis, mox plenus et fortis, mox debilis et vacuus, alias citatus alias lentus, non raro intermitens. Tot vero et tantae plurium simul et nobilissimorum organorum laesiones longe persistere nequeunt, quin inde totus processus plasticus ad imum prosternatur, hoc vero prostrato, necessario omnis incitationis vis, et ipsum demum vitae substratum materiale praecipitato cursu in plenam ruat resolutionem. Augenter autem, vel praeterea accedunt: macies universalis, cadaverosa, musculorum exsiccatio vel

mollities diffuens, quae cum enormi et nimis nutrito obeso ventre proprium aegro conciliat habitum.

Existit icterus vehementissimus, ulcera ad tibias, exco-
riationes, aphtae oris, aut alia dyscrasiae scorbuticae pro-
pria signa, oedemata, ascites, anasarca, tandem febris
symptomatica, depascens, virium debilitas maxima, nervo-
rum et musculorum resolutiones, subinde levis convulsio,
excretiones involuntariae, enormes colliquativae, vomitus
aut diarrhoea cruenta, sudores copiosi frigidi, singultus,
et lypothimiae frequenter tristem finiunt scenam.

Decursus hujus morbi nullis prorsus legibus adstrictus
est. Quandoque enim lentissime evolvitur hoc malum, et
diu clandestine inrepat, donec demum adispiscatur summum
gradum; alias rapidius decurrens, citius in scleroma transit.
Subinde in eodem, quem adsecutum est, gradu, sine ullis
mutationibus diu perseverat, praesertim si congruum obser-
vatur regimen, vel denique ad seram usque senectam absque
magnis incomodis protrahitur.

Exitus morbi.

Transitus in sanitatem locum habet, si morbus est sim-
plex, recens, ex causis notis et amovendis ortus, faventi-
bus simul reliquis circumstantiis, vitae genere, climate
atque therapia simul rationali inauxilium vocata. Febrem
accedentem obstructionem subinde solvere jam Hippocrates
monet: »Quibus ad hypochondrium dolor est sine febre, iis
eadem superveniens dolorem sedat.« — Praecipue febris
intermittens vernalis moderata, quos generat saepe, etiam
tollit infarctus. Tertianae nonnunquam salutarem quoque

se ostendit, si impuris succis corpus repletum ac chronicis afflictumprehendit, his infaretibus. Verum etiam febres continuæ acutæ benignas quandoque in resolvendas obstructions exserunt vires. Id valet de typho contagioso, id quoque de levi hepatitide et enteritide. Praecipua phaenomena, quæ reditum in salutem comitari solent, sunt: imminuuntur paulatim symptomata topica, dolores aliaque molestiae, tumores mollescent, collabuntur, hypochondria exaequantur et omnem corporis situm admittunt, redit adpetitus, digestio facilis fit et expedita, excretiones ad normam revertuntur, emendatur nutritio, physiognomia ad naturalem propius accedit, fugiunt odiosa hypochondriaseos spectra, et, quibus se ipsam phantasia continuo perturbavit, rumpuntur vincula; redeunt vires, semnus tranquillus recreat, vigiliae non fatigant, conscius est sibi harmoniae functionum animus, anxius desinit timor, vitam optat et amat, ejusque oblectatur deliciis. Dynamicis hisce mutationibus junguntur materiales, quæ utplurimum in largis consistunt evacuationibus, per diversa naturalia vel etiam insolita plane colatoria contingentibus. Ultimo respectu haud raro varia profluvia cruenta, epistaxis, haemorrhoidum fluxus, vomitus ipse cruentus observatus est, alias per catamenia redeuntia, largiora, eruptiones cutaneas pristina recuperatur salus. Verum sub circumstantiis adversis ingens morborum cohors miserias aegri, et vitae discrimina multiplicat. Altius enim everso malo, ex infarctu fit scleroma, quod lugubre morborum succedentium inchoat agmen.

Sequuntur inflammationes occultae, suppurationes malignae, febris lenta viscerum variorum phthises, febris inter-

mittens quartana vel tertiana, scirrhus, tabes sicca, scorbutus, hydropes, icterus; impetigines, uti herpes, psora, chloasmata; exanthemata, uti miliaria, urticaria; dein vexationibus plena arthritis, hypochondriasis, melancholia, paraphrenitis, asthma, dyspnoea, tympanites, haemorrhoides, melaena, dolores furentes, pluresque alii universales et topici morbi. In mortem autem triplici modo infarctus splanchnorum abdominalium terminare potest, et quidem: 1. Ex debilitate vitali, viribus nempe atrophia, humorum nobilium jactura, continuis cruciatibus, pervigiliis, mentis, animique languore exhaustis. 2. Ex virium suppressione, dum congesti ad diversa organa humores cruenti, serosi, biliosi eadem obruunt, eorum functiones turbant, pulmones debilitant. 3. Ex colliquatione materiae, cum solida et fluida in miscela sua organica complete corrupta, processui vitali sustinendo imparia fiant. Plerumque tamen mors varia est. Animi praesentia perfectissima ad januam usque orci aegris adesse solet. Anxietas et inquietudo aegris ipsis et adstantibus imminentem annunciant mortem, quae tandem praegressis convulsionibus, singultu, aut oscitatione repetita, aut tenui suspirio animam subripit.

Obstructionum divisiones.

Infarctus multiplici intuitu dispescitur, habito videlicet nunc vasorum infarctorum et materiae infarciensis, nunc originis, nunc naturae et gradus, nunc durationis atque complicationis respectu. Ita ratione vasorum infarctorum et materiae infarciensis: in cruentum, lymphaticoserosum, biliosum; ratione originis in primarium et secundarium; in

idiopathicum, symptomaticum, sympathicum; ratione processus morborum in activum, sthenicum, febrilem; in passivum, asthenicum, affebilem, et spasmodicum; ratione indolis et gradus in illum primi gradus sive simplicem, sive congestionem; secundi gradus sive obstructionem propriam; et tertii gradus sive scirrhum, steatoma, calculos, et hydatides; ratione decursus et durationis in acutum et chronicum, simplicem, compositum, et complicatum dividi solet. Ex praegressis sponte lucet, nobis hoc loco de obstructione viscerum abdominalium. inprimis hepatica et splenica substantiva, sive primarie sive secundarie exorta, simplici et chronica sermonem esse.

Prognosis morbi.

Praeter momenta, quae rationalem dirigunt prognosim, e conditionibus infarctuum, exitus varios inducentibus, uti sunt causae occasionales, symptomata, morbi gradus, decursus, complicationes; empiricis saepissime, uti necesse est, signis eventus futurus praedicendus, quem sub concursu quorundam phaenomenorum, multiplici experientia confirmatorum, cum quadam probabilitate praesagire licet. Si simplex sit obstructio, recens, juvenibus superveniens morbos praegressos non perpessus, robustis, ex causa cognita et removenda orta, faventibus circumstantiis externis, sub congruo regimine, adnuente insuper anni tempore, et climatis constitutione, per apta remedia sanatur. Neque tamen desunt exempla, quibus constat, adveniente quandoque febricula salutari, periodica, infarctus pertinaces solvi. Tristem nonnisi prognosim individua admittunt, quae dia-

thesi aliqua morbosae sunt affecta, aut quibus e negotiis et laboribus, cui se comittunt, nascitur obstructio, nec quibus ex nutrimentorum et potulentorum, aerisque mala conditione oritur, laetum concedi potest praesagium. Obstructio hepatica et splenica pejor est, quam alia uti pancreatis, glandularum meseraicarum etc., hepatica iterum pejor quam splenica, et praesente simul complicatione pessima. Lienis tumor diuturnior ast minus periculosus est illo hepatis, et per intervalla quandoque magnitudine variat. Succedunt spleni tumido saepe vel vomitus sanguineus, vel scorbutus, vel frequentissime ascites. Pueri ac juvenes facilius hoc malum patiuntur, faciliusque ab eo liberantur, senes vero affecti evadere peritui nequeunt, nam et parvus tumor horum viscerum ipsis causa interitus fuit. Ex scirrho aegrum nonnisi tristis sors manet. Eminens dispositio, qualis adhaeret temperamento cholericum, phlegmaticum, aetati virili, senibus rigidis, feminis annos climactericos ingressis, constitutioni scrophulosae, minus fausta concedit promissa.

Aetiologia.

Causis disponentibus ipsa horum organorum structura, situs, nexus, vis vitalis, et, quibus funguntur, officia nocua e omnibus primum adnumeranda veniunt. Nullum viscus in universo corpore per copiosissima vasa sanguinem tardius transmittit; simulque ad dejectionem toni ac roboris, et hinc oriundam humorum stagnationem, ac tumorum generationem, tam pronum est, quam splanchna abdominis, praecipue hepar, et lien.

Huic in obstructionem dispositioni generali, specialis quoque ex aetate, sexu, temperamento, habitu corporis aliisque circumstantiis, cuilibet individuo propria accedit. Magis huic morbo obnoxius est sexus virilis. Non ultima causa, cur rarius apud feminas occurrit, in menstruis, quibus a superfluo sanguine liberantur, quaerenda esse videtur; cum, catameniis e quocunque fonte fluere cessantibus, frequenter infarctibus mulcentur. Aetatem si respiciamus, viros et senes decrepitos hoc morbo praesertim vexari, invenimus. Crebrius quoque in foeminis, quae in annis climactericis versantur, occurrit. In relatione ad temperamentum, cholericis non minus quam phlegmaticis in istud malum inclinant. Hanc vero opportunitatem habitus peculiaris, hypochondriacus ab antiquis dictus, possidet, qui ex viscerum abdominalium evolutione inaequali, ex venae portarum capacitate justo magis adaugeta, et ex singulari horum splanchnorum erethismo nascitur, quo fit, ut continuus turgor et orgasmus in hisce organis locum habeat. Multum porro infarctui diversa vivendi ratio favet. Tali modo tot artium et litterarum cultores vi negotii sui huic malo succumbunt; aliis miseriae et labores graves, aliis vita otiosa, aliis vita larga et in cunctas libidines effusa, tristem hunc praeparant morbum.

Plura momentorum disponentium ad altiores gradum evecta, aut individuum male dispositum offendit, ipsum producit infarctum. In genere quidquid vel tonum viscerum hypochondriacorum dejicit, et vasa relaxat, spasmus inducit, aut phlogosim, atque vel congestiones humorum ad eadem sollicitat, vel motum per illa retardat, vel refluxum arcet, vel qualicumque tandem ratione normale inter conti-

nentia et contenta aequilibrium perturbat, et processum vitalem in iisdem alterat, obstructionem efficere valet.

Inter praecipuas causas excitantes et potentias nocentes referri merentur: animi pathemata, et difficiles mentis labores, mala vivendi ratio, aëris, domicilii, vestimentorum conditio vitiata, varia nocua opificia, multiplices denique alii morbi. Animi pathemata excitantia et deprimentia ob singulare inter systema nervorum et vasorum, inter vitam psychicam et somaticam, inter operationes cerebri et systematis gangliorum philadelphiam, consensu et antagonismo continuo sese manifestantem, humores ex aliis corporis partibus ad systema venae portarum urgendo, aut liberum per hoc eorum circuitum, aut refluxum inde arcendo, aequae ac apathia infarctus efficere potest. Verum quoque libidinosi, turpis cohors masturbatorum, hypochondriam, melancholiam, et perniciosam sibi pariunt tabem dorsalem. Revera sunt defatigantes mentis labores magni momenti, quia vitae tota vis in systema nervosum cerebrale convertitur. Errores porro regiminis diaetetici et depravata vivendi mos maxime obstructioni producendae favent. Quam male sibi igitur consulunt, qui non nisi, ut edant, vivunt, nemo non intelliget. Istis ventriculi scirrhi et indurationes, tumores glandularum meseraicarum, tubercula, physconia et tumescentiae durae, ossificationes et concrementa nascuntur. Huc accedit nutrimentum et potulentum qualitate peccans: victus caseosus, multum lactis, farinacea, leguminosa, pingua, jusecula concentrata, mustum, vina recentia, adstringentia, spiritus vini et cerevisiae non plane fermentatae abusus, aquae insalubres, palustres, et si necessarius corporis motus plane negligatur. Quantum nutrimentum largum cum motus defectu influxum in augmentum

e. gr. hepatis exserat, anseres et capones in clathris saginati testantur, quibus per artem inducitur physconia et polysarcia. Idem valet de aëre impuro, humido, frigido, paludoso, unde infarctus in quibusdam regionibus endemica est, v. c. in Hungaria, Anglia, Hollandia, Italia etc. Nec vestimenta, uti cingula arctiora vel thoracula, quibus coarctatur in medio truncus, visceribus abdominis innocua et praetereunda sunt. Diversa opificia et negotia perlustrans plura etiam invenies, quae infarctibus afficiunt, sic apud sartores et sutores, textores et netrices, scribas et notarios saepius occurrit, et literatis non parcat viris. Ita e. gr. sartores die nocteque saepe trunco incurvato immobiles sedent, et impedito libero sanguinis circuitu istos morbos sibi parant. Varii tandem morbi ipsi ad potentias nocentes obstructionibus faventes referendi sunt. Ita febres gastricae, exanthematicae, impetigines, inflammationes hepatis, aut lienis, vel organorum his vicinorum non plane resolutae, humorum retentiones, hujus morbi sunt uberrimi fontes. Sed nihil infarcit lien et hepar tam cito, quam febris intermittens, praecipue chronica et quartana, unde infarctus ex hoc fonte progredientes placentae febriles vocati sunt, inprimis endemica, hungarica, italica etc.; idem valet de tertiana pertinaci, recidivante. Stadium frigoris et criseos imperfectae ut plurimum hoc efficit, qua materia eliminanda ad hypochondria deponitur. Larga infarctuum quoque fons in therapia perversa latet, quo praecipue praematura febrium periodicarum suppressio ope corticis peruviani pertinet. Constitutio corporis scrophulosa, arthritica, laxa, haemorrhoides primarii valde disponunt. Per vitae genus lautum, cibos solummodo animales, pingues, putridos, olea rancida augetur indoles

venosa. Sic immodica infusi Coffeae et Theae consumptio noxia evadit. Haemorrhoidum et menstruorum suppressiones, abusus remediorum solventium et relaxantium, potus calidi, aer aestuans simul humidus non exigua momenta aetiologica ponunt. Causa vero proxima obstructionum in viscerum uti hepatis et splenis evolutione perfectiori, in coagulo humorum, nunc in vasis capillaribus stagnantium, nunc in telam cellulosa effusorum, atque in levi contextus et structurae alteratione consistit. Ob sensibilitatis ac irritabilitatis vasorum vim altiore, aut etiam ob imminutam reagendi virtutem, atoniam, torporem, nunc distributi et circulantes aequabiliter per universum vasorum systema humores, e remotis adliciuntur regionibus, et avidè arrepti vi retinentur, nunc vero plethora in toto corpore, aut impetu humorum ob urgentes a tergo vires ad haec organa minus resistentia directo, aut denique nisu eorum in expansionem et volumine aucto tanta ad illa viscera oritur congestio, ac tantus orgasmus, ut inde vasa illorum ad majorem diametrum recedere, parenchyma et parietes relaxari, poros dilatari, contentum fluidum in loca aliena aberrare, in textum cellulose extravasari, et ob infractam omnium solidorum vim contractilem resorptionem et illius refluxum retardari, aut penitus supprimi, humoresque stagnare, condensari, coagulari, partiumque constituentium proportionem cum consistentia simul alterari necesse sit.

Therapia.

Indicationis curativae alius non erit scopus, quam ut productionis excessivae processus infringatur, stases solvantur, et coagulorum solutio expediatur. Methodus medendi directa

in causis amovendis consistit, adeoque exactissimam causarum explorationem supponit. Methodus vero medendi indirecta morbum ipsum spectat, et in triplici indicatione consistit, quarum prima stagnantium et coagulatorum in vasis et textu celluloso humorum resolutionem; secunda solutorum resorptionem, et diminutionem e corporis sphaera, tertia denique exposcit, ut inducta tam per ipsum infarctum, quam per remedia solventia et evacuantia partium solidarum laxitas et debilitas, et fluidarum tenuitas sicut nisus in resolutionem per congrua remedia excitantia et tonica emendetur, his correspondens consistentiae gradus, illis justa reagendi facultas restituatur.

Primae indicationi satisfit per methodum et remedia, quae stricto sensu solventia dicuntur, nunc antiphlogistica, si manifestum simul adsit incitationis augmentum, nunc magis tonica et acria, si torpor et laxitas praedominetur. Haec enim in statu verae obstructionis non modo principem therapiae constituunt partem, verum etiam omnis infarctuum cura ab illorum usu inchoari, et modo, quae indirecte solvunt, simul cum directe solventibus combinari, modo autem haec sola illis praemitti debent. Horum porro selectus non tantum gradui morbi, sed etiam praevalenti characteri dinamico adaptandus est, quamvis infarctus verus, nisi huic recens accedat phlogosis, semper morbum characteris adynamici exhibent. Hujusmodi remedia sunt farinae, uti fructus horraei, radices dulces, plantae materia amara solvente et salibus instructae, taraxacum, cichoreum, saponaria, radix graminis, harum plantarum succi praeprimis expressi, acida plantarum mitiora, alcalia fixa, refracta dosi exhibita; sulfur et sulfureta; sales me-

dii et compositi refracta dosi, sales tartrici, praecipue terra foliata tartari, cujus virtutem expertus ipse testor, tartarus tartarisatus, tartarus solubilis, cremor tartari, uti etiam sulphas lixivae, et sulphas sodae; aqua simplex, aquae soteriae salinae, alcalinae, sicut aqua Selterana, acidula salina Pyrmontana, aqua et sal Seidlitzensis et Suidschtzensis etc., ut serum lactis; ptisanac ex avena, hordeo perlato; praeparata stibii mitiora, maxime sulfur auratum Antimonii, et kermes mineralis, pulveres Plumeri, praeparata hydrargyri mitissima; extractum chelidonii, lactucae virosae; stipites Dulcamarae, omnia denique emetica dosi refracta. Conveniunt quoque huic indicationi sanguinis per venaesectiones et hirudines consentanea evacuatio. Juvant virtute absorptionem promovente calomel quoque atque digitalis, nec parvas sibi laudes merentur, saponem medicatum, sal amoniacus, conium maculatum, aconitum, gummi galbanum, gummi guajaci, assa foetida, antimonialia, clysmata solventia. Contra lymphaticas obstructions praepriis laudantur, antiscorbutica, digitalis purpurea, gumiresinae; tinctura antimonii, radix ari, et oleum therebinthinae cum aethere sulfurico. Bilem tenacem spissam optime discutuntur extracta radicis scorzonerae, fumariae, botryos mexicanae; aestate usus internus aquae Carolinae, auctumni tempore succus expressus uvarum, cucumerum, radicis dauci carotae, centaurium minus, sapo medicinalis. Nonnulli aquae laurocerasi peculiarem vim mucum solvendi adscribunt. Etiam naphthae vitrioli, oleum therebinthinae, gummi guttae, et semina sabadillae bona praestitisse dicuntur. Aliae thermae et aquae minerales solventes sunt, quae teste experientiae virtute obstructions dispellente

praecipue excellunt, thermae Töplitzenses in Bohemia, aquae Marianae, Egranae et potui et balneo inservientes, aqua fontis Johannis in Styria, thermae Badenses ad Viennam in Austria, sicut Wisbadenses, Aquisgranenses, Emsenses. Aliqui laudant aquam et serum lactis imisso ferro candente alterata, et frictiones abdominis, quae ope panni ex lana confecti singulis diebus mane et vesperi instituantur. Aliis placet sal volatile cornu cervi aethere aceti saturatum, sicut, decoctum scrophulariae, radix ipecacuanhae dosi refracta, et sub finem curae oleum seminum lini. Cum finis secundae indicationis sit solutorum in circulum reductio et excretio, praeter remedia solventia, et oxygenio praedita, purgantia quoque praecipuam sibi curae obstructionum vindicant partem. Huc spectant: Eccoproctica leniora, uti fructus tamarindorum, manna, tartrates, sulfates, rheum, folia sennae etiam; aloe, gummi ammoniacum etc. Notandum est tamen, quod diaphoretica etiam ac diuretica mitiora simul sint adhibenda. Clysmata quoque Kaempfiana laudibus extolluntur. Illorum ingredientia praecipua sunt: radices taraxaci, graminis, valerianae minoris, herba cardui benedicti, anagallidis arvensis, fumariae, marubii albi, sumitates millefolii, arnica, flores verbasci, et chamomillae, furfures tritici, quibus adhuc admiscentur radices lapathi acuti, rubiae tinctorum, stipites dulcamarae, radix ononidis spinosae, cortex simarubae, herba conii maculati, folia aurantii, herba menthae piperitae, fel tauri inspissatum, et assa foetida. Drachmae duae vel tres infunduntur libra una cum dimidia aquae pluvialis vel calcis, et totum vase bene clauso digeritur per noctem, mane evaporatur ad libram, quae colata et caloris gradu 25. usque 35. thermometri Reaumuriani imbuta clysteri inservit. Usus

vero eorum per annos continetur, necesse est, constituunt itaque medicamento genus, quod paucis medicis atque aegris adridet. Relictae demum solidorum laxitati et debilitati, fluidorum tenuitati cum nisu resolutionis optimum auxilium ferent roborantia. Hoc efficiunt remedia amara, Gentiana, Quassia, Trifolium fibrinum, Cichorium, fel tauri, et amaro-aromatica, uti sunt absinthium, marrubium album, millefolium, atque in torpore, qui non raro adest, ad radicem jalappae dosi refracta, polygalae senegae, radicem et flores arnicae confugere solemus. Quodsi vero spasmi morbi causam sistunt, aut morbo accedunt, remediis solventibus extractum hyoscyami, assa foetida, valeriana, conium maculatum, stipites dulcamarae, aconitum, digitalis adduntur. Sic etiam herba nasturtii aquatici, cortex aurantiorum, rheum, sal amoniacum, ac gumiresinae quolibet respectu emolumenta proferunt. Ad pastum siti sedandae inservire potest vinum dulce et optimae notae, album, duabus tertiis aquae partibus dilutum, ceteroquin potus aquarum ferratarum, nimirum aquae Pyrmontanae, Spaanae, Egranae, quae modice roborant, simulque solvunt, est suadendus. Ita utile est ferrum tartaricum in tinctura aut syrupo rhei chinensis solutum, pulvis corticis peruviani cum quarta parte cremoris tartari commixtus, cui ad vim refrigerantem pauxillum nitri adjici potest. Ubi laxitas vero eminens adest, et materialium peregrinarum retentio non est timenda, ferrum tartaricum in aqua cinnamomi solutum, vinum ferratum, cortex cascarillae, radix tormentillae, catechu in curae finem adhiberi merentur. Celsus quoque ratione istius laxitatis dicit: Hoc vitium quies augeat, itaque exercitatione et labore opus est, unctiones frictionesque et sudores necessarii sunt. Dulcia omnia ini-

mica sunt, item lac et caseus, acida autem maxime conveniunt. Ergo acetum acre per se sorbere, et magis etiam, quod scilla conditum est, expedit. Edenda sunt salsamenta, vel oleae ex maria durae, et sinapis, armoracia. Potui vero jejuno dari debet absinthium aquae incoctum, et post cibum aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde extinctum est; haec enim vel praecipue lienem coarctet, quod animadversum est in iis animalibus, quae apud hos fabros educata exiguos lienes habent. Potest etiam dari vinum tenue, omniaque in cibis et potionibus, quae urinae movendae sunt trifolii semen, apium, satureja etc., praecipueque eruca et nasturtium lienem extenuant. Imponenda quoque extrinsecus sunt, quae levant etc.« — Eximiam quoque virtutem remedia externa praestant. His adnumerantur: inunctiones ex oleo quodam pingui cum camphora et opio, et revellentia omnis generis cuti adplicata; frictiones ad eutem locis adfectis proximam; tum sicca manu, tum ope panni lanei tepefacti, aut fumo quodam aromatico imbuti instituendae; lotiones emollientes, sopientes, oleosae; nunc excitantes potius, aromaticae; nunc demum irritantes; cataplasmata, fomenta, emplastra ejusdem indolis, balnea tepida, aut integra aut semicupia, nunc simplicia nunc saponata aliisque substantiis congruis impraegnata, thermae minerales. Praestans quoque esse dicitur embrocatio, primum ex lacte, aut decocto emolliente, dein ex aqua thermali aut ferrata aut fabrorum. Administratur autem stillatim ex alto in partem adfectam. Cavendum est tamen a nimio impetu, qui dolorem aut inferre aut intendere, si jam adsit, in aegri damnum possit.

Clysteres etiam ex aptis remediis parati egregie reliqua medicamenta ori imissa in cura radicali adjuvant. Huc spectant eodem respectu unguentum hydrargyri cinereum, vesicantia, emplastrum de cicuta, empl. saponatum, linimentum volatile et opodeldoc. Quoad curam symptomaticam, sive palliativam, symptomata urgentia, nempe acidum primarum viarum sive pyrosis, vomitus, diarrhoea, styptosis, erethismus, flatulentia, congestiones sanguineae ad diversas partes, et natae inde haemorrhagiae, denique spasmi varii generis singularem sibi exposcunt tractamen. In obstructione hepatica et lienis, pancreatis et mesenterii tum ob congestiones et stases diuturnas in his visceribus, tum ob interruptam vel alienatam eorum functionem, tum ob languorem organis digestionis communicatum, ob malum inde chylum, chylum, et, qui ex his generatur, sanguinem, ob labefactatum totius assimilationis et nutritionis negotium, tum ob diversa profluvia cruenta, serosa; tum denique ob protractum medicaminum solventium, evacuantium usum, semper tandem ob debilitatem topicam et universalem, solidorum laxitatem et atoniam; fluidorum tenuitatem et dyscrasiam, eget materia organismus plastica. Huic in reconvalescentia per methodum curativum excitantem, roborantem, et nutrientem satisfacere adnitimur.

Regimen diaeteticum sequentibus adcommodetur regulis: Conducit motus creber in aere libero, sicco, puro, tum activus, tum passivus, equitatio, vectio in rheda, exercitia gymnastica, labores aliqui mechanici, e. gr. hortulani etc.; vita sedentaria contra, aer impurus, in cubiculis inclusus, somnus nimis prolongatus sunt omnino fugienda. Congruus fiat ciborum et potuum selectus: fructus horrei,

olera, radices dulces, serum lactis, cerevisia tenuis bene fermentata, vina alba, aquae minerales acidulae bonam exserunt virtutem. Petat aeger nutrimentorum maximam partem ex regno vegetabili. Vescatur ergo herba lactucae sativae, spinaceae, acetosae, portulaccae, nasturtii hortensis vel aquatici, asparagis, radicibus scorzonerae, pastinacae, petroselini, betae rubrae et similibus, utatur porro cucumeribus, melonibus, uvis maturis, fragariis, fructibus rubi idaei, citri aurantii, pomis, prunis, cerasis, moris. Conveniunt etiam antiscorbutica sic dicta: nimirum bulbus alii, herba scordii, cochleariae, radix armoraciae, herba nasturtii aquatici, semina sinapeos, praeprimis si mucositas, et vasorum lymphaticorum languor adsunt. Quibus absentibus modicae quoque fructum solani tuberosi, oryzae, hordei, granorum Sago quantitates consumi possunt. Per reliquum diei tempus decocta radicum graminis, cichorei, taraxaci, malthi, ligni juniperi, infusum liquiritiae et similia siti sedandae inserviant. Suadendum est, ut siti quamvis deficiente tamen harum ptisanarum usus non negligatur. Nocent autem omnes potus tepidi, insipidi, relaxantes, singulari ratione in vasa venae portarum agentes, sanguinem illuc impellentes, Coffea, Thea, alcoholica etc., item omnia nutrimenta cruda, et nimis larga nutritio. Mentis et animi aptum requiritur moderamen, occupatione viribus adoptata, recreatione atque conversatione est procurandum. Denique liberae sunt conservandae omnes corporis excretiones.

Theses defendendae.

1. Natura vera typhi abdominalis (enteritici) quoad pathogeniam est adhuc aenigma.
 2. Purgantia subito post partum sunt frequentissime causa febris puerperalis.
 3. In lithiasi operatio lithotomiae cruenta primum, et tractamen pharmacodynamicum secundum et gravius therapiae momentum.
 4. Amputatio artuum circularis praeferenda illi per lobos.
 5. In sectione caesarea liquorem amnii jam defluisse, necesse est.
 6. In scrophulosi cura diaetetica primaria.
 7. Natura abscessuum lymphaticorum consistit in inflammatione chronica e dyscrasiis.
 8. Morbi psychici sine causa materiali sunt insanabiles.
 9. Principium homoeopathicum: Similia similibus; verum.
 10. Nervi motorii et sensitivi sphaeram diversam agnoscunt.
 11. Existunt contagia fixa, sed non volatilia.
 12. Contra amaurosim materialem nullum remedium.
-

1. *Phytolacca* *capitata* L.
2. *Phytolacca* *frutescens* L.
3. *Phytolacca* *heterophylla* L.
4. *Phytolacca* *opulifolia* L.
5. *Phytolacca* *rubra* L.
6. *Phytolacca* *sp.*
7. *Phytolacca* *sp.*
8. *Phytolacca* *sp.*
9. *Phytolacca* *sp.*
10. *Phytolacca* *sp.*
11. *Phytolacca* *sp.*
12. *Phytolacca* *sp.*